

noris specie, quo mundi destrui lucra debuerunt. Cumque mens humilitatis culmen arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus immutat.

CAP. IX. QUOD MENS PRAEESSE VOLENTIUM PLERUMQUE SIBI FICTA  
BONORUM OPERUM PROMISSIONE BLANDITUR.

Sed plerumque hi qui subire magisterium pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt: et quamvis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna pertractant: sitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam saepe sibi de se mens ipsa mentitur, et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat: quae principari appetens, fit ad hoc pavida cum quaerit, audax cum pervenerit. Tendens enim, ne non perveniat trepidat: sed repente perveniens, jure sibi hoc debitum ad quod pervenerit putat. Cumque percepti principatus officio perfaci seculariter cooperit, libenter obliviscitur quidquid religiose cogitavit. Unde necesse est, ut cum cogitatio extra usum ducitur, protinus mentis oculus ad opera transacta revocetur: ac penset quisque quid subjectus egerit, et repente cognoscit, si praelatus bona agere quae proposuerit, possit: quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire. Nescit laudem cum suppetit fugere, qui ad hanc didicit cum deesset anhelare. Nequaquam vincere avaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tenditur is, cui sufficere propria nec soli potuerunt. Ex anteacta ergo vita se quisque inveniat, ne in appetitu se culminis imago cogitationis illudat. Quamvis plerumque in occupatione regiminis ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari recte navem et imperitus dirigit; turbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus se nauta confundit. Quid namque est potestas culminis, nisi tempestas mentis?